Vir Praenobiliſsime Ampliſsime atq; Excellentiſsime
Patrone quovis honore proſequende!

Non oblivione vel ſummae Tuae erga me benevolentiae vel meae
in Te pietatis, nullas hactenus literas ad Te miſi, ſed quod argu-
mentum, (uti jam literis Feltnerianis ſum profeſsus:) conſpectui Tuo
dignum, defecerat, et religione prohibebar variis negotiis occupatiſsi-
mum nugis meis interpellare. Nunc vero praecipuam felicitatis
meae partem interpretor, quod et ſcribendi neceſsitatem impoſitam mihi

video, et Tibi, Vir Excellentiſsime, de novis dignitatum et honorum acceſsionibus gratulari contingit. Gaudent hoc nomine Muſæ meæ, et cum præſentes in coetu gratulantium devotiſsima vota struere nequeant, literas ſaltem lætitiæ indices oculis tuis ſubjiciunt, et antiquum illud FELICITER apprecantur. Nec fieri poteſt, ut vota abſentis irrita ſint, quippe quibus Deum imploro, ut ad omnia cepta gratiam ſuam largiatur, quo eo melius cedant in ſanctiſsimi Nominis ſui gloriam et Academiæ totius incrementum maximum. Cæterum pro comunicata ſchedula invitatoria ad Orationem inauguralem, gratias perſolvo debitas, et cum ea ſortis meæ ſit tenuitas, ut par pari referre nequeam, ad aliam occaſionem illud differam. Nova denique lubentiſsime adjicerem, ſed citius ſcribendi finis quam initium ſeſe oſtendit. Nec

opus mea narratione esse censeo, quia Bexius et Schneiderus coram Tibi meum defectum largissime supplebunt. Nihil itaque superest, quam ut ulteriori favori atq; benevolentiae me commendem, et Dn. D. Koelerum, Dn. Fratrem tuum, aliosq; amicos mei memores quam humanissime meo nomine salutatos cupiam. Vale.

Nominis Tui Excellentissimi

Jenae Calendis Xbris
A. O. R. CIƆIƆCCXV.

cultor perpetuus
M. Sig. Jac. Apinus

VIRO

Prænobiliſſimo Ampliſſimo atq Excellentiſſimo

JACOBO GUILIELMO FEUERLINO Philoſophiae

Rationalis Profeſſori Publico meritiſſimo, Fautori et

Patrono ſuo honoratiſſimo

Altdorffium.